18

51

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

DISSERTATIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis quartâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXX.

M. JOSEPHO-JACOBO GARDANE, Censore Regio, & Regiæ Scientiarum Societatis Monspeliensis, nec-non Regiarum Academiarum Nancei, Divionis & Massiliæ Socio, Doctore Medico Præside.

De Morbis à cessatione Menstruorum, vulgò dictâ, Tems critique.

§. I.

I. CUM varii morbi sunt toti hominum generi communes, tum permulti & pergraves ii, qui ad mulierum conditionem lege propriâ pertinent. Prima enim ætas, ut floribus, ità spinis conspersa est, & acceptam à naturâ procreandi facultatem non ærumnis animi tantùm, verùm etiam corporis salute redimit. Deindè sanctissimo fœdere conjuncta, dulcissimam matris voluptatem percipit exultans; sed molestissimum pariendi tempus antecedit incommoda valetudo, dolores acerrimi comitantur, sequitur malorum multitudo incredibilis. Tandèm cessantibus vitæ quasi antecessionibus, tempora incidunt lubrica, quibus vita mulierum maximo in discrimine versatur. Quam ob causam non immeritò dicta sunt illa nostro idiomate, *tems critique.* Miserabilis certè sexûs hujusmodi conditio, qui fundat vitam exteriùs, internâ morte commutatam!

II. Quamobrem quæ Astrucium anteà moverat magna rei utilitas, ea nos impulit, ut morborum hujus generis naturam & causas investigaremus, & quânam ratione expediat illis occurrere vel mederi, diligenter explicaremus. Sed necesse est exordiri à principiis quibusdam anatomico-physiologicis, ad doctrinam hanc nostram spectantibus.

III. DE UTERO. Triplici substantiâ constare uterum, formâ notissimum, consentiunt inter sese Clinici & Anatomistæ. Nam alia quidem spongiosa est &

E

cellulosa, tempore graviditatis maximè conspicua; alia verò musculosa vel contractilis, de quâ nullum unquàm obstetrici fuit dubium; tertia deniquè vasculosa, quam satis superquè indicant vasa cujuscumque generis, per totam uteri capacitatem variè disseminata. Hanc autem nervis copiosissimis esse refertam ex eo apparet, quod visceri indita sit vis sentiendi omnium maxima.

IV. Inesse etiam utero suas glandulas ab ovariis distinctas, autumaverunt Hallerus & Astrucius: ut ut sit, certum est inesse illi cryptas plurimas in collo visceris, & vaginâ perspicuas, seu sebum ad lubricandos delicatiores parietes idoneum secernant, seu mucosæ & lacteæ substantiæ separationi & excretioni faveant.

V. Hæret in pelvi uterus nec pelvim exuperans, urinariâ vesicâ brevior, hanc inter & rectum intestinum supernè ad posteriora declinans, vicinis visceribus molliter fultus, ligamentis adornatus potiùs quam devinctus, collo proprio & vaginæ tanquam pediculo adhærens, & cum illâ ad angulum se habens, facilè ad partes varias deflectens, communiùs verò in dextrâ positus, repellente intestino recto à sinistris aliquantulùm sito, sæpèque flatibus & stercore turgido (1).

VI. Partitio præcipua matricis, non aliter ac generalis corporis sectio, fit juxtà perpendiculum, etsi hæc in mulieribus apparet minùs quàm in brutis; tubæ quoque fallopianæ, quadrupedum uteri cornibus correspondent, singulaque prædicta matricis pars, cum mammâ ejusdem lateris relationem habet: quâ quidem in re, cum Hippocrate consentit Clinicorum autopsia (2).

VII. Quæ cum ita sint, patet uterum aut quasdam hujus partes maximè sentire, magnâ etiam lactis, muci & sanguinis copiâ posse oppleri, eumque suaptè naturâ flexibilem admodùm, seorsùm, deorsùm, & ad latera plus minusve divagari (3) vaginam tùm comprimendo, tùm distrahendo. Quapropter totum in corpus dominationem tantam exercet, ut spasmos, commotionesque nerveas concitet eò vehementiores, quod viscus magis adhæret iis corporis partibus, quibus illud inflammetur ad libidinem. Unde post Hippocratem Aræteus, singularem illam matricis vim & energiam cogitans, vulvam in fæminâ se habere ait *quasi quoddam in animali animal* (4).

VIII. De Menstruorum causa. Innumeras ferè opiniones de menstruatione natas delevit longa dies. Restat una tantùm, quæ illius causam plethoræ tribuit: quod scilicet sanguis coacervatus, ab utero difficiliùs ad superiora redeat, cum propter laxiorem arteriarum textum & obliquitatem, tum etiam propter varios vasorum cujuscumque generis anfractus (5), sacculosque venosos ab Astrucio venas cæcales ideò nominatos. (6) Quæ quidem sententia verisimilis primùm ex eo videbatur, quod singulis mensibus redundans in humano corpore sanguis vasa uteri complere deberet, magisque impedire, donec per diabrosim, aut anastomosim, aditus pateret latici sanguineo.

(1) *Haller element, physiol. T. VII, pag.* 42.

(2) *Recherches sur les maladies chroniques, Analyse du sang, cachexie sanguine & laiteuse.*

(3) » Morbum de quo unicè quæreretur affectiones aiebat, fuisse uteri, quem sibi hùc & illùc per ventrem tunc moveri, & ad fauces ascendere, cum suffocationis interdùm sensu asseverabat ». Morgagni *de sedib & causis morb.* pag. 181, n°. 23. Quæquidèm etsi hyperbolicè dicta, visceris tamèn in partes imperium graphicè delineant. Utrùm hæ commotiones, cum electricitatis & torpediniseffectibus comparari possint? Res forsan satis digna est de quâ quæreretur.

(4) *De causis & signis morbor. acut.* pag. 24.

(5) *Haller, Elém. Physiol. T. VII.*

(6) *Astruc, Traité des Malad. des Femmes, Tom. I,*

IX. Sed iſtam *Mechaniſtarum* ſententiam deſeruerunt, quicumque irritabilitatem corporis, vitamque hujus, ut ità dicam, diſtributivam, attentiùs examinarunt. Numquid enim non debuiſſent apud infantes & fœtum ipſum fluere menſtrua, cum major ſit tunc temporis matricis ad pelvim & ad totum corpus proportio (1), laxiorque viſceris compages, non minus interdùm vaſa opplente plethorâ, hæmorrhagiis alterius generis antè pubertatem conſpicuâ ? ſed erumpunt menſes in puberibus tantùm; ceſſat illorum fluxus, ubi generationi fæminæ fiunt minùs aptæ, licèt ante ortûs & ceſſationis illorum epocham, locum habuerint hypogaſtricorum vaſorum laxitas, obliquitas, auctaque diameter: ergò à pubertatis primo inſultu, potiùs, quàm à ſuppoſitis iſtis cauſis mechanicis, menſtruorum origo repetendus (2).

X. Igitur quemadmodum partem qualemcumque videmus incaleſcere, rubere, in tumorem attolli, lymphâque & ſanguine ingurgitari, ubi titillatio major, irritationis proxima, erethiſmum & tonum excitans, majorem in illam invehit fluidi copiam; qualia etiam varia corporis organa, ut nares, cutis, bronchia, anus, veſica, ventriculus, &c. ſanguinem fundunt, ubi nimiùm irritantur viru variolarum, herpetis, elephantiaſis, aliovè contagio, vel etiam veneno cantharidum & ſerpentis Hæmorrhoï, aut demùm materie morbificâ per criſim alicubi depoſtâ, ut modum quo ſanguine tumeſcit æſtro venereo excitata penis prætermittamus, ità matrix apud puberes, æſtuantis primùm humoris prolifici effluviis perfuſa, titillatur, movetur, afficitur, copiam muci & lymphæ in propriam ſubſtantiam attrahens, donec æquo pleniores venarum ſacculi, redundantem ſanguinem in uterum effundant: indè MENSTRUA (3).

XI. Hinc etiam fit quòd in puellis, in quibus ætatem ſolitam prævertunt menſtrua, mammæ ſororientur, vox fit plenior, firmior cutis, aſpectus ſecurus, cæteraque occurrant pubertatis ſigna: ut confirmant multa hâc de re paſſìm obſervata (4), ipſaque praxis propria in puellulâ ſeptem annos natâ. Tantùm eſt in matricem & corpus totum, plethoræ ſeminalis imperium! Nec ab aliâ cauſâ pendet cruenta illa uteri purgatio, quæ catulitionis tempore in nonnullis quadrupedibus obſervatur, non deſitura, niſi conſopito periodico iſto ardore venereo.

XII. Quam ob cauſam vita cælebs fluxui menſium obeſt, prodeſt verò conjugale commercium: ex quo fit etiam, ut mulieres ad voluptatem propenſiores copioſiùs repurgentur, ſi appetitum expleant: contrà puella naturæ impulſui ſeverè repugnans, lentâ febre, verè dictâ *amatoriâ*, miſerè conſumitur, quam nulla venis expellant remedia, donec ægrotanti ſuccurrat Hymenæus, Æſculapio potentior. Ex eâdem deniquè cauſâ naſcuntur mæror, anxietas, fluxûs menſtrui perturbatio, cachexiæque variæ, quibus moniales virgines & fæminæ à conjuge ſeparatæ obnoxiæ ſunt, dùm ſimili fermè, etſi aliò tranſlatâ ratione, generatio menſeſque in junioribus ſub ardente ſirio celeriùs explicantur.

(1) *Haller. Element. Phyſiol. T. 7, p. 45.*

(2) *Bordeu, Rech. ſur les mal. chroniq. Analyſe du ſang. cachex. ſéminale & ſanguine* Eaque fuit plurimorum auctorum ſententia.

(3) Id. ibid.

(4) *Hiſt. de l'Ac. des Sciences. Vanderviel, Traduct. de Planque, T. 1, p. 321.*

XIII. Etſi porrò ſeminis agitationem & intumeſcentiam menſtruorum cauſam eſſe dicimus, cujus principium inquirant audaciores (1), non negamus tamen ad ea conferre vaſorum uteri anfractus, laxitatem forſàn, auctamque diametrum. Partes quoquè ſuas in iiſdem habere poteſt, quæ periodicam plethoram feminalem ſequitur periodica paritèr plethora univerſalis, in utroque ſexu à phyſiologis obſervata : (2) ſed hæc & alia hujuſmodi, cauſæ tantùm ſecundariæ dicenda ſunt, quòd nullum ferè effectum habuiſſent, niſi anteceſſiſſet cauſa efficacior jam aſſignata.

XIV. De mammis. Mammæ, formâ & ſitu ſatis cognitæ, vaſis ſanguineis, lymphaticis, glandulis, textu celluloſo & nervis præſertim ut matrix abundantes, (3) cum hâc etiam proprio voluptatis organo, papillâ ſcilicet, inſtruuntur. At verò ut ſcitu facilis, ità per difficilis explicatu, magna illa quæ mammas inter & viſcus viget, conſenſio. Tantâ enim tenentur inter ſe junctione, ut quidquid illis jucundum vel moleſtum acciderit, ad hoc etiam pari ratione referatur. Quare Sennertus: *fæminæ, ſi ipſis mammæ contrectentur, libidine tentantur* (4). Ex quo fit etiam ut Hippocrates, ubi de geſtatione mulieris, admirabilem hanc conſenſionem & quaſi harmoniam totiès laude celebraverit. (5) Illarum namquè miniſterio lactificationis opus à matrice jam inchoatum perficitur, cum poſt partum humor lacteus ab infimo ventre ad ſuperiora fertur. In quo minùs certè habenda eſt ratio anaſtomoſis vaſorum textûſque cellularis officii, licèt eodem ſpectantis, quàm ſenſationis à matrice per nervos ad mammas permanantis, titillationiſque in papillâ ab infante excitatæ ; poſtquàm ceſſavit, quæ antè fiebat per placentam ad uteri parietes, æquivalens titillatio. (6)

XV. Quapropter meritò docuit nos, idem qui cætera, Hippocrates, ab utero ad mammas lac advenire, ut ſit poſt partum alimentum ; *menſtruaque deficere huic quæ lac habet, licèt non ſit prægnans, nec puerpera ; lac ad mammas ope cucurbitulæ attrahi ;* rectè ſubjungens alio loco, *ſi mulieri uterum geſtanti lac è mammis fluat, debilem eſſe fœtum ; ſi verò ſolidæ fuerint mammæ, ſaniorem.* (7)

XVI. Quæ quidem confirmat effluxus lactis per alias partes à practicis obſervatus, quandò menſtruis ſuppreſſis recrementum illud à mammis aliò incautè repellitur. Multa hujuſmodi obſervata reperire eſt apud varios autores, in quibus vim maximè facit exemplum illud puberis viginti annos natæ cui, referente D. *Bourdon* (8), per exiguas puſtulas parti ſuperiori femoris ſiniſtri, ſicùt & vulvæ labiis adnatas lac effluebat, ſuppreſſo interdùm fluxu menſium periodico. Id ipſe compertum habui in fæminâ, apud quam lac eodem ferè modo per externa pudenda abundè utrimquè ſcaturiebat.

XVII. Ex quibus intelligitur maximè differre lac verum, & ſeroſum iſtum laticem è puellularum papillâ non raró effluentem ; quippè quòd humor ille quidèm

(1) » Nihil hic video, quod per ſenſus diſci, aut oſtendi poſſit ; nervorum tamen per priora phænomena manifeſtam poteſtatem ſentio ; ultrà vix quidquam. *Hall. Phyſ. Element. p. 565, Tom. VIII.*

(2) *Sanctor. ſtatica, aphor. 55 Eſſais de Phyſique par Senac, Tom I.*

(3) *Hall. Elément. Phyſ. Tom. VII.*

(4) *Sennert, op. T. III, p. 569.* Haller & Bord. loc. citat.

(5) *Lib. Aphor.*

(6) *Bordeu, Analyſ. du ſang, cachex. laiteuſe.* Eſt nervis in lactis iter magna poteſtas, *Haller, T. VII.*

(7) Hip. loc. citat.

(8) *Collect. Académ.*

operâ matricis elaboratus, vitalem quasi spiritum succos vè seminis optimos hauserit, expresserit (1); hic contrà insulsus, aqueus, ipso lactis sero tenuior, nec robur ingenerare valeat, nec alimentum nisi debilissimum suppeditare. Quocircà rectè cum Hippocrate & Cordeo, Laurentius lac virgineum à puerperiali sejunxit; Sennertusque (2) idem sentiens, meritò cum divino Sene: *non verum lac per molam generari, sed potiùs crudam materiem, progressu temporis evanidam.* Quam sententiam deindè susceperunt multi recentiores (3), quos inter solertissimus observator Schmid, qui cum lacte mammis puellularum & non nullorum hominum stillare vidisset, licet in his rariùs, se nihil aliud præter fluidum limpidum & aqueum reperiisse confitetur. (4)

XVIII. In immensum cresceret argumentorum multitudo, si quæcumque nostram confirmant opinionem, ea hîc aut luberet, aut vacaret enumerare. Præsertim verò si naturam occultè & verecundè agentem liceret oculis monstrare, faciliùs innotesceret undè tanta mutatio & perturbatio corpori adveniat, cum primùm explicat sese conjunctionis appetitus; quantùm ipsi etiàm animo perniciem & quasi vastitatem inferre valeat aura seminalis in vesiculis collecta & condensata; quam infando cruciatuum genere torqueantur miseri isti, oris habitu tantùm homines, munere naturæ injustè spoliati: (5) nec dictu etiam difficiliùs esset quânam arte pastores insufflando cum arundine in uterum vaccarum, lac uberiùs ad mammas detrudant. (6) Sed hæc & alia hujusmodi permulta, etsi ad morbos posteà explicandos pertinent, omittimus:

Quæ prohibet pudor, & castæ reverentia musæ. Calliped.

XIX. Unum igitur superest de quo quid dicam, robur scilicet illud & splendor cutis, quibus apud puberes intendit sese actio plethoræ seminalis in textum cellulosum, quibusque pulmones totius hujusce textûs primariam officinam quasi diceres. Augescit enim in dies, toto pubertatis tempore, textus cellularis, succisque vegetioribus continuò alitur, quamdiù incitant seminis moleculæ; contrà deficiente hoc incitamento, languescit ille & quasi arescit. Hinc vel corpus horret tristi macie, vel pinguedine abundat, sed molli prorsùs & cachecticâ. Ultrò dicas humorem prolificum fermento ferè similem, ab imprægnationis tempore, ad fœtus usquè formationem, succorum nutritiorum accessione dilui; deindè ab hâc epochâ ad pubertatem usquè, motu tum sanguinis, tùm musculorum ità subigi & confici, ut vitam novam corpori infundat, & quidquid huic vigoris & roboris accedere potest, posteà verò dissipatum, ad hujus depravationem nunc, ut anteà ad perfectionem, conferre, donec exhaustis succis seminalibus, recurrant infantiæ tempora: simili ratione quâ farina subacta, si sit spirituum expers, & nimiùm diluta, decidit non ampliùs fermentatura; hincque magna illa infantes inter & senes simi-

(1) Neque tamen in mammis castæ virginis lac generatur: id ut fiat stimulo aliquo opus est, is quidem stimulus in raris non nullis exemplis fuit succio. *Haller, lact. secret. Element. Phys.*

(2) *T. 3, p. 563.*

(3) *Bordeu, analys. du sang, cachex laiteuse.*

(4) *Collect. Ac. Tom. X.*

(5) Vide apud Bordeu, loco citato.

(6) Observavit in Pyreneis montibus & retulit nobis sagacissimus Bayen, in rebus physicis & chemicis maximè exercitatus.

litudo. Quibus expofitis, reliquam partem perfequamur, quæ fpectat ad morbos ceffationis menftruorum.

§. II.

XX. QUAM rationem menfibus ortum dare anteà diximus, eamdem ad eorum interitum transferre facile eft, rerum tamèn adjunctis accommodatam. Ut enim lunâ à mari longiùs digreffâ, fiftitur fluxus aquarum, fpumæque fecundæ agitatio; ita apud mulieres definunt menfes fluere, cum procul abiit pubertas, fontefque vitales exarefcunt. Quod quidem contingit in utroque fexu, ab anno quadragefimo ad quinquagefimum. Ne tamen credideris hoc temporis intervallum ita effe definitum, ut non poffit magis vel minus patere. Vices enim fibi conjunctas habet, quas afferunt multæ caufæ, vitæ fcilicet ratio, numerus graviditatum, partus difficiliores, fchirri (1), aliæque affectiones utero magis, minufvè infeftæ. Quid enim hâc in re poffet vaforum uteri annis contracta durities, præclara ifta *mechaniftarum* inventio? Nihil omninò, aut parùm certè, idque fecundariò tantùm, ut caufas iftiufmodi ad fluxum conferre anteà diximus (XV.) Nam ut uteri, ità cæterarum corporis partium vafa pari ratione obduruerunt. Undè quantùm illa fanguinis declinationem promovere niterentur, tantùm hæc eam impedirent. Sanguis igitur ad affueta colatoria reverfus, per hæc ut antè fluere pergeret.

XXI. Sed cum matrix vitam quafi propriam totamque generandi vim ex feminis fontibus haufcrit (XI), neceffe eft illam fæcundis irrigationibus orbatam languere otio, fomnoque torpere, nullo motu excitandam. Hujus itaque fubftantia iners & *extincta* (2), atque, ut ita loquar cum Silvio, *ftupidior facta*, fluxionem menftruam jam definit attrahere, aut imbecilliùs attractam, nequaquàm fatis foras expellit. Undè vifceris oppletiones continuæ, affectufque diverfi, toti mulieris corpori cum utero communes, *mirâ cum aliis partibus, uteri fympatheiâ!* (3)

XXII. Inftante verò procellofo hujus generis autumno, triftioris hyemis finiftro prænuncio, *primæ malum accipiunt mammæ.* (4) Hæ enim fi glandulofis obftructionibus anteà laboraverint, non rarò in skirrum cancrumve abeunt; aut etiam multa incommoda fæminis afferent, fi infarctui textûs cellulofi favere videantur. (5) Prætereà dolentes mammæ, etfi laxæ & flaccidæ, fenfim *extinguuntur.* (6) Et ficut in graviditate juxtà Hippocratem mammæ abortum prænuntiant, vel fœtûs unius, fi utraque gracilis; vel alteriùs tantùm, fi alterutra, ea nempè quæ ad gemellum pereuntem profpectat; ità poft abfolutam menfium periodum, extincta ubera uteri mortem portendunt, dùm fcilicet alterutra mamma, quid patiatur latus matricis fibi fubjacens, certò declarat. (7) Quod quidem facilè intelligitur ex cancro mammarum, tempore critico, fæpè fæpiùs obfervando. (8) Ad hoc accedit, quod ipfe vidi in muliere annos quadraginta circiter natâ, quæ dolentem tumorem in mam-

(1) Schirros potius pro causâ ceffantium menfium habeas quam pro effectu. *Haller, Elem. Phyf. pag.* 156.

(2) *Franc. de Leboe filvii, praxis Medic. p.*370. Vide etiam quæ de iis fcriplit Bordeu, in eximio fuo de glandulis libro: *Recherches fur les glandes*; ubi matricem, ut glandulas omnes, vitæ mortique peculiari obnoxiam effe, nitidè oftendit.

(3) *Lorry, de morb. cutan.*

(4) *Id. ibid.*

(5) *Bordeu, malad. chroniq cachex. laiteu. Roderic à caftro, de morb. mul. l.* 2.

(6) *Lorry, ibid.* Mulieres quæ totâ Provinciâ Parifiis confluunt ad domum publicam infantium nutritioni præpofitam, noftrifque curis commiffam, dicunt lac extinctum, *lait mort*, iftud quod ad finum defidentem & ex fuccum pertinet.

(7) *Hippocrat. lib. de morb. popular. lib. VI.*

(8) De vingt femmes qui auront des cancers,

mæ dextræ textu cellulofo tandiù patitur, donèc dolorem viciffim fufcipiat matricis pars dextra, & fluant menfes, tùnc rariores; quibus ceffantibus dolor & tumor ad mammam recurrunt. Idem fermè habui exploratum, in aliâ ejufdem ferè ætatis nec meliùs menftruatâ, cui per menfium intervalla lac fpiffum, vel mucus è papillâ finiftrâ exprimitur, quâ exarefcente, dolor leviusculus permeat ad matricis latus id, quod papillæ intereà recreatæ fubjacet. Ex quo hanc fententiam his verbis egregiè quidem confignavit Hippocrates: *Si mammarum papillæ rubor pallidus fuerit, morbofum uteri vas eft* (1); quippè quod in præfagiendo matricis ftatu, multùm valeat mammarum obfervatio.

il y en aura quinze, qui feront dans l'âge de quarante-cinq à cinquante ans, où la nature a coutume de faire ceffer les évacuations menftruelles: ce mal eft fort frequent dans les Couvens de filles. *Dionis, Cours d'Operations.*

XXIII. Nec mammis tantùm, *fed thoraci etiam malum infert uterus;* ex quo fit, ut pectus hâc ætate difficiliori, peffimè fe habeat. De quo quidèm nemo dubitare poterit, qui voluerit cogitare pubertatem & pectus tantâ junctione inter fe teneri, ut actio pulmonis ad menftrua & genitalia conferre multùm valeat; tum quod delentur illa in adultâ phtifi pulmonari; tùm quòd fervet magis in phtificis voluptatis appetitus. Quarè fæpè evenit, ut, ceffante prorfùs menftruâ repurgatione, miferè incidant mulieres, aut in hydropem pectoris indelebilem, aut in atrociorem phtifim pulmonarem. Dolens eheù recordor; fic periit dilectiffima parens, multis illa bonis flebilis, nulli magis, quàm mihi!

Aliquæ puellæ recens puberes, glandulis mammarum fæpius tenentur. An id ab iftarum & matricis labore malè incohato; quemadmodum fimilia videre eft ubi menftrua malè definunt? Ita enim à fe obfervatum fuiffe nobifcum communicavit D. Michel, in rebus Medicis maximè verfatus.

(1) *Hippocrat. de morb. popul. lib. VI.*

XXIV. Multa etiam & varia, hâc præfertim ætate, fequuntur ex lacte incommoda, fi quæ ad mammas afcendit recens nati alimonia, hæc ufu infando ad uterum fuerit repulfa. Ità enim fit, ut vis naturæ inferatur, fuccio & titillatio congruentes defint mammis, quæ proindè amittunt motum illum nerveum, quo lac conficientes, matricis vices gerere debuiffent (XV.) (2) Fractoigitur tono uteri, fimulque totius textûs cellularis functionibus perturbatis, lac ad inferiora per vim regreffus, injufto vifcus premit pondere. Hinc uteri fenfus gravis & moleftus, ovariorum nimia oppletio, fluor albus diuturnus, relaxatio matricis, colli hujus obftructio, diductio, imò & erofio quandoquè, vaginæ compreffio vividior (*a*), affectiones nerveæ quam multæ, aliaque id genus fymptomata, accedente menfium abfolutâ ceffatione, tantò graviora, quantò magis tunc temporis pondus ovariorum fuaptè naturâ augetur. (3) Quid & dùm corpus in tanto verfatur difcrimine, mens ipfa è ftatu fuo quoque

(2) *Bordeu, malad. chroniq. loco citato.*

(3) Cum ætate ovaria dura fiunt & fqualida & rimofa... frequentes in ovariis skirri fiunt... ab ætate etiam eis venit fitus mutatio. *Haller, Phyfiol. elementa*, Tom. VII.

(*a*) Has vaginæ & colli uteri affectiones nequaquàm fatis cogitaffe videntur autores, fi tamen unum excipias peritiffimum Sabbathier (*Mém. de l'Acad. de Chirurgie*), qui quomodò comprimi & dolere poffint iftæ partes, accuratè defcripfit. His accedit annotatio alterius autoris, de ftatu matricis, primis impragnationis temporibus. (*De la génération, &c.*) Traduit de la Phyfiol. de Haller. Semel vidi mulierem gravidam quæ cùm nullum dolorem percepiffet ex orificio matricis nefariâ arte diftracto, pofteà affectionibus nerveis vehementiffimè correpta fuit, & miferrimè cruciata. Ex quo intelligi poteft, ab affectione colli matricis, & fi doloris expertis, morbos mulierum fpafmodicos plerumque generari.

dejicitur; mærore confecta juventutem, venustatem, & quidquid tempus rapax secùm abstulit, continuò cogitat, desiderat, reposcit, sed frustrà:

Humanæ nimia inconstantia sortis!
Floridus hic periisse decor jam cepit & ævi
Conditio infelix, lapsos desiderat annos:
Jam rugæ subeunt (1).

XXV. O fortunatæ, sua si bona norint, puerperæ! Recens ex se natum *sinè Magistro, duce naturâ, mammas appetentem, earum ubertate saturarent*, atquè ita ingenerato sibi à naturâ in suos amori tradentes sese, jucundissimo matrum sensu, castissimis infantum osculis jam, & perpetuo in posterùm amore, fruerentur. Sed proh dolor! Invaluit cupiditatibus aut præjudiciis contracta barbara ista consuetudo, ut vix nati infantes, à domo paternâ statim exulent, & ad venalem nutricem officia materna transferantur. Quod quantùm constitutioni infantis tùm physicæ, tùm morali, ipsique etiàm matris saluti noceat, facile ex dictis intelligitur. Non jam ergò querantur matres, quòd liberi deformitatibus, vitiis, morbis abundent, hæc enim hauserunt illi è lacte alieno; nec quod ipsæ perpetuâ malorum colluvie scateant, pænas enim luunt proprii lactis nefariæ perniciei debitas (2).

XXVI. Sanguinem menstruum tamquàm purum habuerunt omnes ferè physiologi. A quibus tamèn non parùm dissentire videtur peritissimus Hallerus. (3) Nam primùm, quòd rationem habet muci cum cruore admixti, hunc viscosiorem esse suspicatur, & ità accedit ad hoc Hippocratis: *sanguis ex utero prodit qualis è victimâ, citòque concrescit.* (4) Deinde verò cum venenatam cruoris qualitatem acriter impugnat, fluidum hoc in quibusdam mulieribus fœtere tamen confitetur (5), *Corruptionem peculiarem sanguinis* à menstruorum suppressione *nasci*, afferens. Quod etiam ex Vanswieten Commentariis(6), ipsisque Morgagni cadaverum sectionibus (7) concludi potest, quamvis iidem authores opinioni non satis directè faveant. Sanguini menstruo acre aliquod inesse docet Bordevius (8), cum quo idem fermè sentit D. Lorry, cum affirmat *acre quoddam per menstrua vacuari.* (9) Sed seminalibus effluviis non raró imprægnantur lac & sudor(10), licet hæc ab illis procul distent. In menstrua igitur aget fortiùs *gas* illud, & sanguinis putredinem, aut peculiarem crasim generabit; ferè quemadmodùm sanguis æhmorrhoïdum & hæmorrhagiarum criticarum, acrimoniâ, sibi inditâ, pruritum in partibus excitat, quandiu fluit; & in pelle eruptiones, cum uterque fluxus sistitur (11).

XXVII. Verumtamen si acre quoddam per menstrua vacuetur, ac cutim deturpet ætate vegetâ; quantò magis mordax erit sanguis uteri *à quadragesimo ad quinquagesimum ætatis annum*, cum post angores, morbos sæpè diuturnos, ipsumque etiam rerum sex non naturalium abusum, benigna illius crasis corrumpitur. Id rectè quidem Hoffmannus perspexit; juxtà quem, *cruor cum non ampliùs depuretur, non solùm in quan-*

(1) *Calliped.*

(2) *Astruc, Malad des femmes, T. II.*

(3) *Haller, Element. Physiol. T. 7, pag. 138.*

(4) *Hippocrat. lib. 1, de mul. morb.*

(5) *Haller, Elem. Physiol. tom. 7.*

(6) *In Aphorism Boerrhavii, T. 4.*

(7) *Morgagni de caus. & sed. morb.*

(8) *Maladies chron. cachex. sanguine.*

(9) *De morb. cutaneis.*

(10) *Bordeu, loc. citato, Haller, Elem. Physiol. T. 7.*

(11) *Bordeu, ibid. Lorry, de melancholia Hoffman, consult.* Legi etiam merentur quæ de sanguine menstruo scripsit *roder. a castro. tract. de morb. mul. T. I.*

titate coacervatur, sed acriorem quoquè ac spissiorem induit qualitatem (1). Meritò igitur *delitescentibus mensibus, inter pessimas phœnomeni istius sequelas morbos cutaneos* Lorry numeravit, eo rebelliores existimans, *quòd cutis mulierum ipsa nituerit* (2). Quorum quidem morborum genus duplex multi interest distinguere, quòd nempè ad mensium suppressionem, aut cessationem integram, maximè spectare videatur. Unum genus est, quod pertinet ad tumores calidos, in capillatâ cervicis parte præsertim conspiciendos, quos mulieres vulgò, *bosses*, appellant. Alterius verò generis sunt, ovoidei, uno, ut plurimùm, pollice longi, rosei, prurientes, ex collo, pectore, aut brachiis sæpiùs erumpentes subitò, & ità fermè evanescentes; sed cum aliis eruptionibus colligati. Cujus rei, hoc mihi, inter cætera, exemplum singulare compertum est. Mulier annum vitæ quadragesimum quintum agens, parùm & inordinatè repurgata, anxietates, tussim, dolores colicos, spasmosque patiebatur, dictis modò cutis vitiis interdùm obnoxia. Deniquè erysipelate crus dextrum occupante maximè affligitur, tunc etiàm tumore circulari, instar zonæ, genu dextrum cingente. Suppurat erysipelas, ex hoc fluit humor mucoso-sanguineus, pauloquè post ægrotans benè se habet. Elapsis aliquot mensibus, cum negligerentur præscripta auxilia, redit erysipelas, at latiùs diffunditur, nec suppurat; præstò adsunt prædicta symptomata, non nisi vesicantibus excutienda.

(1) Hoffman, Consult. T. II.

(2) De morbis cutaneis.

XXVIII. Verùm enim verò dùm devius sanguis, hùc atque illùc excurrens, varia osculа ferit, dolores capitis, hemicranias, catarrhos, pyrosim, sudores partium diaphragmati superpositarum, sanguinis & humorum raptus, ad superiora promovet: in infimâ corporis parte sæpè sæpiùs hepar laborat, oppletur lien & dolet periodicè, refluo scilicet sanguini diverticulum offerens. Maximè etiam labefactatur ventriculus, abdomen obstipatur, turgent sacculi hæmorrhoïdales (3), totusque venæ portarum tractus in dies magis opprimitur. Quare meritò *vena portarum porta malorum* (4). Malum augent polypus quandoque uterum invadens, aut etiam inferiorum artuum venæ, textusque cellulosus, nimiùm intumescentes. Hinc igitur bilis acrior & redundans, mucus etiam copiosior, minùsque blandus, sanguini superfluo, perversâ crasi, admiscentur, & per varias corporis partes brevi permeant. *Quapropter multoties & plurifariam occurrit, fœminas quibus ætatis ratio menstruam sanguinis rejectionem abalienavit, doloribus ex calculo infestari, à quibus tamen anteà vigente hoc fluxu, fuerant immunes, vel horum loco sævis artuum doloribus corripi* (5). Imò & in utero ipso calculos quandoquè hâc ætate nidulari observatum est (6), cum simul etiam hujus visceris parietes lapidescerent (7).

(3) Hoff. consult. T. II.

(4) Sthall. dissertat.

(5) Hoff. consultat. p. 538. T. II.

(6) Mém. de l'Acad. de Chir.

(7) Comm. litt. Norimberg. Jul. 1731.

XXIX. Latâ echymosi fædatas mammas vidi, sicut faciem, pectus & brachia, flavo & furfuraceo quodam caustico deturpata, ut omittam varias stases sanguinis, cum alienatione mentis, epilepsiâ, apoplexiâvè plerumquè conjunctas (8)? Narrat Hildanus (9) mulierem apud quam ad annum usquè sexagesimum octavum, menses statis temporibus profluxerant, hoc anno cum minùs fluere incœpissent, in febrem

(8) Hall. El. Phys. tom. 7.

(9) Centur. 2, Observ. 61.

continuam incidiſſe ; deindè materiem in crus ſiniſtrum delapſam, inflammationi & gangrænæ ibi locum dediſſe, quibus illa paulò poſt interiit. Caſum ſimilem etiàm obſervare mihi licuit. Inſignem alium refert Olaüs Borrichius mulieris (1) quadrageſimum annum viventis, quæ cùm uſquè ad hoc tempus robuſta fuiſſet & vegeta, ceſſantibus tamen menſtruis, pondus in capite ſenſit, hebeſque facta nihil prorsùs recordabatur. Epilepticæ à ſimili cauſâ mulieris, apud Hoffmannum Hiſtoria legitur (2). Uterinis hæmorrhagiis cum laborare talia mulier lubrico hoc ætatis ſuæ tempore, polypum matricis ſum ſuſpicatus ; tùm accerſitus D. Veiret, Chirurgus Pariſienſis peritiſſimus, uterum exploravit, polypique detecti ligaturam ſolertiſſimè inſtituit, undè brevi convaluit ægrotans ; nec ampliùs fluxerunt menſes anteà diuturniores. Quare Hoffmannus : *certa atque indubia conſtat experientia, fœminis ſi quinquageſimum annum exceſſerint, ceſſante menſtruâ purgatione per uterum, cum variis potiſſimum chronicis paſſionibus eſſe confligandum* (3).

(1) *Act. Haffn. vol. 2, obſ 78.*

(2) *Conſult. T. II.*

(3) *Id. ibid.*

XXX. Non immeritò igitur *mulieres edoctæ matrum experientiâ, non ſinè anxietate, quaſi malorum ſegetem inferat tempus illud ætatis, intuentur* (4). Neque *alio tempore toties erumpunt uteri ulcera putidiſſima, glandulæ mammarum, herpetes, & alia ſimilia, quos affectus omnes, aliquid phlegmonodei ſemper ſecùm ferre ; dolores magis ad lancinantes referri quam ad pruritum ; profundioraque eſſe illa mala, & pus ab iis educi & magis coctum & ſolidius*, rectè quidem exiſtimat autor maxime perſpicax : (5) etſi ab hoc diſſentiat alter autor, cæteròquin de arte medicâ benè meritus, qui, quòd quaſdam mulieres tandiù vivere in ſuâ provinciâ viderit, quandiú homines, cenſet ideò menſtruorum ceſſationem non eſſe illis infenſam (6) ?

(4) *Lorry, de morb. cutan.*

(5) *Id. ibid.*

(6) *Lepec de la Cloture, malad. épid.*

XXXI. Nequè tamen putandum eſt multiplici hoc malorum genere mulieres quaſcumque cruciari. Nam varios illa ſuſcipiunt gradus, qui quidem pendent tùm à primorum fluxuum indole & naturâ, tùm ab illo qui fuit tunc temporis uteri habitu, tùm etiam à ſecretionis humoris ſeminalis ceſſatione. Ex his enim cauſis naſcuntur maximè, quæcumque varietates in repurgationibus menſtruis obſervantur ; ſive hæ ſubitò ceſſent, non ampliùs rediture, ſive per menſes aliquot, aut per annos evaneſcant, diuturniorvè fluxus longiora etiam admittat intervalla, ſivè continuò per annum & ultrà manifeſtus, vel obſtructionis cancri proximæ ſit cauſa, vel etiam eroſo tandem utero, in cacoëthes ulcus commutetur.

§. III.

XXXII. De menſtruorum ceſſationis, cauſâ, tùm etiam de morbis indè naſcentibus, ſatis expoſitum videtur ; dicendum ſupereſt quânam ii arte declinari poſſint, aut ſanari. Verùm in hoc vitæ diſcrimine, propterea quòd ſanguis, mucus, in majus volumen abeunt, ut dictum eſt, ſolida plus æquo diſtrahuntur, deleteriâ materie

vitiantur humores minùs blandi, ità demùm matrix comparata eſt, ut nervi vehementiores commotiones ſuſcipiant (VII.) Neceſſe eſt igitur ſanguinis copiam minui, ejici humorem vitioſum, exitioſamque fluidorum & ſolidorum diatheſim emendari. Hæc conſequentia cernit facilè non Medicus tantùm, verùm etiam quicumque valuerit in judicando. Sed Medicus longiùs proſpiciens, ad hæc maximè conferre intelligit corporis exercitia, diætam moderatam, ſanguinis miſſionem, purgantia, attrahentia, alterantia remedia & antiſpaſmodica; id quoquè multi intereſſe, ne hæc alia ab aliis ſejungantur. Nec quaſi ſpectator otioſus, ea adhibere nimiùm differet; ſed potiùs quaſi diligens naturæ explorator, totius morbi curſum videns, ſymptomatibus occurret. Hâc enim ætate rarò evenit, ut morbi penitùs depellantur, ſi invaluerint; idque rariùs, ut non invaleſcant, ſi tardiùs ſuccurratur.

XXXIII. Igitur venæ ſectio, non ſæpiùs quidem, ſed per annum ter quatervè repetita fiat, præſertim *ſi mulieres otio indulgeant & lautè vivant* (1). *Pariſiis loquimur in aere pariſino.* Illæ enim quæ multùm exercitantur, maximèque in aere campeſtri, cum morbis jam prædictis ſint minùs obnoxiæ, minùs etiam præſcripto auxilio indigent. Nec terreant deſituri fluxûs pertinacior diuturnitas, reditus poſt plures annos, abdominiſque & partium infimarum levis intumeſcentia, imprimis ſi roſeo quodam colore cutis perfuſa, pelluceat paululùm, & incaleſcat: modò tamen non præceſſerit viſcerum infarctus cachecticus. Sic Olaüs mulierem, quam intermiſſa jampridèm menſtrua, nec opinata, octogeſimo ſcilicet ætatis anno invaſerant, venæ ſectionibus periculo liberavit. (2) Sic quàm plures ſkirro uteri laborantes, malèque affectas tempore critico, ſeu minùs, ſeu minimè repurgentur, repetitâ ſingulis periodis venæ ſectione, à cancro imminente defenduntur. Sic etiam, redeuntibus menſtruis licèt pauciſſimè admodùm, cum ſanguinem detrahi juberemus, minùs obſequioſa mulier, conſilium deridens, brevi longâ hæmorrhagiâ fuit correpta, quam, cancroſum matricis ulcus, phthiſis, & mors exceperunt: dum alia, licèt abdomine & cruribus intumeſcens, pituitamque multam per oppreſſos pulmones expuens, recurrentibus menſtruis jam extinctis, phlebotomiâ ſana facta eſt. Hùc etiam confert Hoffmanni præceptum, *quòd fæminæ ſanguinis plenæ, vitæque ſedentariæ addictæ, poſt menſium ceſſationem, maximè ſi venæ ſectiones omittant, doloribus calculoſis, variique generis ſpaſmis corripiantur: quotidianâ experientiâ docente* (3).

XXXIV. At ſanguinem detrahendo, venæ ſectionem in talo fuge angue pejus, quidquid contrà dicat idem Autor (4), propriæ ſententiæ quandoquè nimiùm tenax, pace tanti viri dixerim. Namque ſeu derivationi ſanguinis in matricem locum det perverſa hæc operatio, ſeu id fiat ab aliâ causâ non ſatis exploratè perceptâ & cognitâ, certum eſt indè pondus uteri & dolores augeri, ſæpe etiam vero œdemate intumeſcere crura, lethaleſque prodire viſceris hujus hæmorrhagias; *hæcque ipſe miſerrima vidi.*

(1) *Aſtruc; Traité des malad. des femmes, T. II.*

(2) *Collect. Acad. Part. Etrang. Tom. VIII.*

(3) *Hoffm. conſultat. pag. 552, Tom. II.*

Metus eſt ne ſerotini menſes morboſi ſint & ex vitio uteri naſcuntur: ſæpe enim lethales eſſe dudùm animadverſum eſt. *Haller, El. Ph.* licet aliter ſentiat autor elegans: *De l'homme & de la femme dans l'état du mariage.*

(4) Id. ibid. T. 1, pag. 3.

XXXV. Sed in ſymptomatum pertinaciâ opitulantur hirudines ad ani marginem numerò plures admotæ, præſertim ubi prægreſſa fuerit venæ ſectio è brachio, *quæ dum in humores omnes agit æqualiter, jamque liberiorem efficit circuitum, viam aperit revulſioni* (1), eaque cùm ſuccedat praxis in curandâ melancholiâ, magis præſtat adhùc, deſi nentibus menſtruis, cùm mulieres ſint hâcce horâ triſtes & melancholicæ : eâdem forſan ratione conducunt cucurbitulæ ſcarificatæ, quas Hoffmannus, præeunte etiam phlebotomiâ, maximè prædicat (2).

(1) *Lorry, de mélanchol. Tom. II.*

(2) *Id. Ibid.*

XXXVI. De attrahentibus diſſerere hic ſuperfluum. Quantùm proſint hâc ætate hujuſmodi auxilia, norunt annoſæ mulieres, norunt Practici omnes; nec alio modo ægrotæ jam citatæ hebetudinem, aliis remediis rebellem domuit Olaüs Borrichius (XXIX). Hoc unum tantùm admonere liceat, ea tutè & peropportunè etiam, ad femora, vel ad crura poſſe applicari, imprimis ſi affectiones cutaneæ à ceſſatione menſtruorum oriundæ, extremas illas corporis partes depravent; nec ea unquàm meliùs ſuccedere, quàm ſi largâ doſi adhibita, majorem deleterii humoris copiam educant. Sed à ceratis eſcarroticis, quæ circumforanei prædicant, cautè abſtinendum; quod iſta nerveas papillas vellicando nimiùm, ſimul per cutis poros ſanguini & humoribus adjungendo ſe, in interioribus corporis calorem ſummum, ferèque inexplebilem, venenatâ ſuâ qualitate valeant excitare, ut triſtis ſæpè docuit experientia.

XXXVII. Eodem modo, quæ ad purgantia & alterantia pertinent, breviter etiàm perſequemur. Multùm quidèm prodeſt alvum reſolvere, & in hoc conſiſtit curationis pars maxima. Ideòque dictas anteà venæ ſectiones, ſi repugnent mulieres, ſupplere poterunt purgantium beneficia, modò tamèn abſint ſymptomata nimis inflammatoria, temperantiùſque illæ vivant, & aſſiduis utantur exercitationibus. Veruntamèn à dulciariis abſtinendum, ne flatibus nimiis agitetur infimus venter, & nervorum ſpaſmos ſpaſmis addat, matricemve ſimùl frequentiori dejectionis conatu, à ſede magis dimoveat. Cum alterantibus igitùr illa miſceantur refractâ doſi, idque ſub formâ pillularum, veſperèque antè cænam aſſumantur, ut minor ſit horum energia, &, à ſomno placidè continuato, manè abſquè labore alvus exoneretur. Mirum quantùm in hiſce circumſtantiis ſucceſſerit hæc methodus, ſi aliundè ſummo manè vel lac vaccinum thermalibus aquis commixtum, vel alterantium plantarum ſucci defæcati & cum pauco ſale neutro juncti, opportunè ſubminiſtrentur, additis interdùm pro re natâ ſudoriferis remediis, aquâ multâ dilutis.

XXXVIII. Verum enim verò cum his omnibus accuratiſſimè conjungi antiſpaſmodica, urget maximè indicatio; inter ea tamen non raró proſunt antiſpaſmodica fortia, viroſa & olfactui injucunda, ſeu naribus admoveantur, ſeu ſub formâ potûs, vel ſuffitûs adhibeantur. Hæc enim ſicut effluviorum ſeminalium vices ſupplent, ità qualitate ſibi propriâ tonum matricis ſuſcitant, utroque modo æquè proficientes, quidquid dixerit autor nimiùm pervulgatus, qui tonica hæc tanquam incendiaria prorſùs repudians, ad ravim uſquè, clamat *ad aquam*, quam tum in potu, tum in

balneis vult adhiberi frigidam, nec intelligit à se ipso se dissentire, qui sentiat morbos spasmodicos à fibræ nimiâ tensione oriri.

XXXIX. Nequè tamèn hæc auxilia negligenda sunt, ubi infarctus & oppletio desierint, usurpatis anteà thermis sæpè nimiùm neglectis, quæ, cùm obstructionibus viscerum reserandis maximè valent, nervorumque naturæ sunt aptissimæ; tum peregrinationibus & corporis exercitio locum præbent, & sic menti recreandæ, corporique reficiendo æquè prosunt. *Dici vix potest, quanta vis insit aquis mineralibus, tam internè quam externè usurpatis, ad eradicandas passiones chronicas* (1) à cessatione menstruorum oriundas, præsertim si fontibus supponatur infirma hypogastrica regio, repetitoque semicupio, matricis orificium assiduè alluatur. Multi enim interest, ut corporis & totius textûs cellulosi habitus collabescens substineatur, commotione abdominis, laxatum viscus succutiatur, atque collum hujus sæpè sæpiùs durum, obstructum, vel plus æquo constrictum, ad pristinum statum revocetur. Hùc etiam conducunt injectiones detergentes, simulque prædicti colli sensum exquisitissimum sopientes, sicut & in matricis relaxatione leviori, motibusque illius insolitis refrænandis favet admodùm cucurbitulæ siccæ applicatio nimiùm derelicta; quâ de re quæ scripsit Clariss. Collega noster M. Philip (2), non indigna sunt quæ legantur.

(1) *Hoffman, Consult.*

(2) Videantur etiam quæ de usu cucurbitularum diximus in libro cui titulus. *Conjectures sur l'électricité médicale.*

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Joannes-Carolus DES-ESSARTZ, *antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Censor, Collegii Medici Lugdunensis Socius.*

M. Ludovicus-Guillelmus LE MONIER, *Consiliarius Medicus Regis Ordinarius Primarius, Regiarum Parisiensis, Londinensis & Berolinensis, Academiarum Socius, & in Horto Regio Botanices Professor & Demonstrator.*

M. Joannes-Baptista LANGLOIS.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes COLOMBIER.

M. Ludovicus-Alexander DE CÉZAN.

M. Petrus BERCHER, *Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Hispaniarum Infantis, dum viveret, nec-non Regii Exercitûs ad infimum Rhenum in ultimo bello Medicus Primarius.*

M. Joannes-Carolus DES-ESSARTZ, *Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Censor, Collegii Medici Lugdunensis Socius.*

M. Julianus BUSSON, *Nosocomiorum Regiorum in Britanniâ Inspector, & Serenissimæ Comitissæ Atrebatum Medicus Primarius.*

M. Benjaminus-Ludovicus LUCAS DE LAUREMBERT.

Proponebat Parisiis ANTONIUS MATHEY, Æduus, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberr. Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1780. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1780.